



Vol. I. m. n. 57.

INTERPRETATIO
QVORVNDAM
PLVTARCHI
LOCORVM
IN VITA IVL. CAES. CAP. I, IX, X ET XXII.

QVA
AD ORATIONES IX
IN SCHOLA TORGAVIENSI
HORA III POMERIDIANA
B. XIX ET D. XXII APRILIS CICLO CCLXXXI
BENIVOLE AVDIENDAS
PATRONOS ET FAVTORES
INVITAT
TRAVGOTT FREDERICVS BENEDICT
AA. LL. MAGISTER ET SCHOLAE TORGAV. RECTOR.

TORGAVIAE,
EX OFFICINA KVRZIANA.

INTERPRETATIO
MAGNA
PIATVACI

LOGORAM
IN ALIA VIT CARS QVI EIK ET XXX

AD ORATIONES IX

IN SCHOLIA LOGORAM

NON IN POMERIANA
SCHOLIA LOGORAM CLODUS GLXXII
DENIQUE AVBENDVS

PATRONIS ET TUTORIS

HISTORI

TRADICAS BENEDICT
AVGOTT TRIDERICAS BENEDICT
AV MAGISTER ET SCHOLAE LOGORAM RECTOR

EX ORIGINA KAROLINI
LOGORAM



§. I.

In Cap. I. vitae Caesaris, a Plutarcho enarratae, haec verba leguntur: Ως δὲ πλήθες Φόνων ἐν αἰχῇ οὐδὲ διὰ χολας ὑπὸ Σύλλα παρεργόμενος ἐπὶ ἡγάπησεν, αἷλλα μετών ιεροσυνην τὸν δῆμον προστίθεν, ἔπια πάνι μειζόνιον ὥν, τάντης μὲν ἐκπεσεῖν ἀντὸν ὑπενεντωθεῖς Σύλλας παρεσκεύασε — *Cum initio Sylla multorum caede et negotiis quam plurimis impeditus Caesarem negligeret, hic tamen non eo adquieuit, sed inter candidatos sacerdotii in foro comparuit, quamuis nondum plane adoleuisset; quare Syllae eidem aduersantis consilio effectum est, ut munere illo excideret.*

Maximae auctoritatis interpretes putarunt, Plutarchum h. l. dissentire a Velleio et Suetonio, quorum ille lib. II, cap. 43 scribit: *Caesar pene puer a Mario Cinnaque Flamen Dialis creatus — hic in vita Iulii Caesaris, cap. I narrare incipit: Iulius Caesar, Diuus, annum agens sextum decimum patrem amist: sequentibusque Consulibus, Flamen Dialis destinatus, dimissa Cossutia, quae familia equestri, sed admodum diues, praetextato desponsata fuerat, Corneliam, Cinnae, quater Consulis, filiam, duxit uxorem. — Sed difficultas illis scriptoribus inter se conferendis orta maxima ex parte tolli videtur, si diuersa tempora, quae illi respexerunt, attendimus. Hoc loco enim Plutarchus calamitates tantum narrat, quas Caesar, imperante Sylla, subire cogebatur, neque simul meminit commodorum, quibus iam a Mario,*

amitiae suae marito, et a Cinna ornatus fuerat. Constat autem, Syllam, cum rerum potiretur, omnia ab iis acta fecisse irrita, quae ipsa Velleii verba sunt l. I., quare Caesar, nisi veller illa sacerdotis dignitate, quae ei iam destinata fuerat, plane priuari, sub ipsis Syllae auspiciis denuo ambire hoc munus debebat. Singularis autem Caesaris temeritas in eo cernebatur, quod, cum Sylla omnibus Marii et Cinnae sectatoribus insigni saetitia aduersaretur, latere atque contemni noluit a Sylla, multis negotiis occupato. (Hunc sensum enim requirunt verba: παροχθεντές εἰς τὴν απῆσην, quorum ultimum a Suida verbis: αἰγαίδης των οὐδὲ πλέον ἐπιζητεῖν explicatur.) Quare etiam videtur ab eo inde tempore potissimum Syllae suspicionem sibi periculosam excitasse, cum admodum iuuenis tantum honorem in ciuiitate appeteret, neque postea minis nec pollicitatione adduci posset, ut Corneliam, Cinnae filiam, quam duxerat uxorem, repudiaret. Diuersarum igitur partium, Suetonio auctore, habebatur, et cum sacerdotio tum gentilitiis hereditatibus (non e lege aliqua sed pertinaciae eius castigandae causa, ut bene monuit Ernesti contra Casaubonum,) multabatur. Si quem vero offenderit, me verba Plutarchi: ταῦτης μὲν ἐπιπεσεῖν, latine vertisse: *ut munere illo excideret;* eius interpretationis rationem optime reddit Donatus in notis ad Terentii Andriam, Act. II, scen. V, v. 12, ubi idem vocabulum graecum comparauit. Eius verba sunt: VXORE EXCIDIT. Quod Graeci dicunt: ἐξέπεσεν, νεκράπενχεν.

Porro mirum videri debet, Plutarchum, qui narrare omiserat, quo iure iam a Mario et Cinna ornatus Caesar ad munus illud expetendum acceperit, etiam ipsum sacerdotii illius nomen negligere atque communis tantum vocabulo: λεροσύνη, appellare. Quamquam enim Flamen Dialis maxima dignitatis fuit inter Flamines, (ut ait Festus: de verborum significatione, sub vocabulis: *Maximae dignitatis,*

ris,) et quamquam Liuius lib. I, cap. 20, de Numa narrat: ne sacra regiae viis deferentur, Flaminem Ioui assiduum creauit, insignique eum ueste et curuli regia sella adornauit; tamen Pontifices atque Augures etiam non minoris dignitatis sacerdotes Romae erant, quare Plutarchus non insigni quodam sensu Flaminis Dialis munus sub illo: *ἰεροτύης* vocabulo indicare potuit. Forte scriptor noster Suetonii, aequalis sui, auctoritate inductus solum hoc vocabulum posuit, quia ille etiam loco laudato tantum scripserat: quare et *sacerdotio — multatus*, cum antea tamen Flaminis Dialis mentionem diserte inieciisset. Argumentum, quo haec sententia stabiliri possit, praecipuum ex ipso narrationis ordine repeti debet, quo Plutarchus sub initium libelli sui de Caeſare conscripti usus est. Quamquam enim varia et omittitur, quae Suetonius accurate indicauerat, et ex aliis scriptoribus addit Plutarchus, tamen initio statim rem eandem attigit, quam Suetonius quoque affert, nec ordine dissimili in primis perirex capitibus. Plutarchum autem Suetonii libello in suis narrationibus usum esse, si vel ex his capitibus atque ex aliis locis non pateret, certe ex capite: LV luculentter appetat, ubi, loco Suetonii cap. XLI male intellecto, summus scriptor turpiter se dedit, atque bello ciuili finito tantum a Caesare centum quinquaginta millia ciuium Romanorum capita esse censa scripsit, cum antea trecenta et viginti millia numerarentur.

Ceterum neque Caesar hoc sacerdotium auspicatus esse videtur, cum ipsi a Mario et Cinna delatum esset, neque etiam, ipso propter Syllae malignitatem repulsam ferente, alius eius loco tunc temporis captus est Flamen Dialis. Suetonii enim et Velleii verbis tantum creatus et designatus fuisse dicitur, nihil autem de populi auctoritate, qui suffragiis tyrannorum istorum sententiam stabiluerit, quidquam affertur. Cuius tamen populi auctoritatis, quam Caesar

sibi conciliare voluit, Plutarchus nostro loco mentionem iniecit. Ibi quidem Reiskius pro verbis: εἰς τὸν δῆμον προσῆλθεν, legi iussit aut: πρὸς τὸν δῆμον προσῆλθεν, aut: εἰς τὸν δῆμον προσῆλθεν; sed non meminerat vir summus, graecos scriptores etiam ita loqui solere, quorum varia loca attulit Doruillius in Animaduersu. ad Charitonem lib. III, cap. III, pag. 62. v. 8. ed. Beck. — Caesaris loco tamen non alium Flaminem Syllae mandatis electum esse, partim Dionis Cassii, partim Taciti testimoniis affirmatur. Ille sub finem lib. LIII narrat: Καὶ τῷ ἀντῷ τέτω χεόνω ὅτε οὐεῖς τῷ Διὸς πρῶτον μετὰ τὸν Μεγάλαν ἀπεδείχθη. Hic vero Annal. lib. III, cap. 58 contendit: duobus et septuaginta annis post Cornelii Merulae caedem neminem esse suffectum. — Quodsi Merulam anno U. C: DCLXVII sibimet ipsum venas secuisse statuimus, et Dionis verbis, ut ex antecedenti eius narratione patet, repetita Flaminis Dialis creatio ad annum U. C: DCCXLIII referri debet, difficilis quaestio oritur de illis LXXII annis, quos Tacitus affert; cum totum fere quadriennium a Dione his adiungatur. Mihi quidem ex oratione Taciti contexta apparere videtur, si totum locum attente perlegeris, non tam annos computari, quibus nullus Flamen Dialis Merulae loco electus sit, quam illum potius annorum numerum indicari, quibus sacra dialia, ordine non interrupto ab aliis sacerdotibus Flaminum Dialium loco sint facta. Nam haec Taciti verba: post Cornelii Merulae caedem neminem suffectum — statim illa excipiunt: neque tamen cessauisse religiones. Idem scriptor mox pergit: quodsi per tot annos possit non creari, nullo sacrorum damno etc. Hac igitur admissa interpretatione quadriennium illud, quod in Tacito verae annorum summae detrahitur, ad turbulentia illa reipublicae tempora referam, quae statim post Cornelii Merulae mortem incidebant, et quibus cum breuis ista Marii tum diurna Cinnae et Carbonis crudelitas dominabat.

batur. Non igitur mirum est, in ciuitate tot turbis commota etiam sacra Flaminis Dialis interea temporis non rite peracta et aliquamdiu interrupta fuisse; cum in primis Iul. Caesar, cui destinatum erat hoc sacerdotium, iustos pubertatis annos tunc nondum attigisset, ideoque etiam a sacris tanta religione celebrandis adhuc abstineret. Postquam vero Sylla rerum poritus erat, quem multa noua instituisse atque etiam Pontificum, qui interdum Flaminis Dialis loco sacra administrarunt, numerum auxisse constat: haut dubie etiam idem Sylla dialium sacerorum curam aliis sacerdotibus permisit, neque illi Syllae instituto, sicut aliis eius decretis, longa annorum series quidquam auctoritatis derraxit; donec Augustus tandem repeteret pristinam illam Flaminis Dialis dignitatem.

Iam supereft, ut inquiramus, *quod annos natus fuerit Caesar*, cum, Sylla imperante, illud sacerdotii munus ambiret, quia Plutarchus de eo scripsit: ἐπω πάντα μεγάλον ὄν. Vocabulum graecum: μεγάλον plane respondere videtur latino: *adoleſcens*; cuius utriusque vocabuli significatus cum latissime pateat, ex ipsa vocabuli: μεγάλον, notione non facile annum aetatis, quam tum Caesar agebat, definire licet. Sed Plutarchus reliquis verbis aperte indicauit, *sub ipsum Syllanae dominacionis initium*, hoc est, exeunte anno U. C: DCLXXII, Caesarem sibi hoc munus petuisse. Quod si igitur cum Macrobius Saturnal. lib. I cap. IV, natales Iulii Caesaris ad quartum Idus Quintilis anni U. C: DCLIII referentur, Caesar haud dubie tunc *annos decem et octo natus erat*, cum inter candidatos sacerdotii illius compareret; quae aetas nullis quidem honoribus petendis inter Romanos opportuna et apta censebatur.

Sed constat, Norisium in *Dissent. II*, cap. V, ad *Cenotaphia Pisana de nostrō Plutarchi loco* multa aliter tradidisse et nescio *quod tempus*, quo Caesar adhuc puer Flaminis

Dia-

Dialis dignitate ornatus sit, commentum esse, qua eum Sylla in urbem anno U. C: DCLXVI, regressus, Mario solum vertere coacto, iam tum priuauerit. Graeuius quidem in suis notis ad Suetonii l. l., quia Norisius, memoria fesellisse Suetonium, affirmauerat, ita eum refellere studuit, ut potius Velleium, cuius auctoritate Norisius potissimum usus erat, neque Plutarchum solum, erroris insimularet. — Mihi vero neutrius scriptoris latini fides saltem in ll. ll. labefactanda videtur. Velleium quidem non falsa narrasse, cum Caesarem scriberet a Mario et Cinna creatum esse Flaminem Dialem, summa auctoritas illorum virorum, qui, quoad dominarentur, plurima tunc ad arbitrium suum suscipiebant, quae communi ciuium consilio disceptanda fuissent, satis confirmare videtur. Porro etiam illa cognatio, qua Caesar Marium attingebat, haud dubie plurimum contulit ad sacerdotis dignitatem Caesari deferendam; quamquam nuptias Corneliae huc etiam referre nolim, quippe post Cinnae foceri mortem demum, anno U. C: DCLXXI, cum Caesar, ut Suetonius refert, annum aetatis septimum et decimum ageret, sunt celebratae. Ipsa tamen tenera Caesaris iuuentus, cum eum hi duo destinarent sacerdotem, impedimento fuisse videtur, quo minus usque ad Syllae redeuntis tempora huic muneri ipse vacaret; id, quod iis etiam, quae supra ad laudatum Taciti locum disputauit, magis confirmatur. — Quod denique Suetonii locum attinet, quem quidam Velleii et Plutarchi verbis repugnare putarunt, plane incertum, imo falsum esse videotur propter allatum Velleii locum, si annum, quo Caesar designatus sit Flamen Dialis, ex illo definire velimus. Nam Suetonii verbis nihil aliud, quam hoc ineft: *anno sequenti Caesarem, quia Flamen Dialis esset designatus, dimissa Cossutia, ei adhuc puero despensata, nobilioris generis uxorem, ipsam Cinnae, quater Consulis, filiam in matrimonium duxis.*

duxisse, ut haud dubie muneri, quo ornatus erat, maiorem conciliaret dignitatem. Qua quidem interpretatione, omnibus interpretandi regulis diligenter adcomodata, non putem, me vim intulisse illis Suetonii verbis, neque ullo usum esse artificio, ut ea in alienam ab ipsa scriptoris mente sententiam detorquerem. Quodsi enim ita explicamus Suetonii verba, simul causa appareat, qua Caesar in primis instigabatur, ut Cossutiam, ex familia equestri tantum ortam, repudiaret; quod vero vulgata interpretandi ratione non aequa certum arbitror. Cum enim Caesar, qui ingenio naturali ad maxima quaeque suscipienda ferebatur, nouum honori suo splendorem accedere et nouae eiusque utilissimae coniunctionis cum viris amplissimis ineundae occasionem suppeditari videret, iuncto cum Cornelia matrimonio; quod ei forte, nisi iam munere tam honorifico gauderet, appetere non licuisset: diuitias quidem Cossutiae negligendas ratus paratiorem ad maiores honores consequendos viam ingressus est. Quando igitur nihil nos cogit, Suetonii verba: *sequentibusque consulibus* — ad proximum illud: *Flamen Dialis destinatus*, referre, quo tantum causa mutati matrimonii continetur, sed potius spectant sequentia: *Cornelium — duxit uxorem*: iam quoque licet nobis, non repugnante Suetonii testimonio, affirmare, Caesarem alio tempore a Mario et Cinna Flaminem Dialem prodi potuisse; quam quidem sententiam illa Velleii narratio postulare videtur. — Similem verborum coniunctionem Suetonius etiam aliis locis adhibuit, ut: Iul. Caes. cap. 23: *Mox, et ipse a L. Antistio, tribuno plebis, postulatus, appellato demum collegio, obtinuit, cum reipublicae causa absent, reus ne fieret.* Quo loco etiam varia explicatione interpretes usi sunt, ut illam amouerent difficultatem de Caesare absente, a tribuno plebis in ius vocato. Narratione quidem, ex Syllae rebus gestis repetita et comparata, haec Suetonii

B

ver-

verba optime illustrari posse videntur. Cum enim Sylla anno U. C. DCLXVII, L. Cornelium Cinnam, sanctissimo iure iurando adactum, ne ipsius officeret consiliis, Consullem eligi passus esset, hic, ut Syllam quam primum ex urbe eiceret, Virginium, tribunum plebis, ad Syllam in ius vocandum subornauit; quo facto hic statim in expeditionem aduersus Mithridatem profectus est, ut lege Memmia ab illa accusatione liberaretur. Plutarchi verba sunt: διηνὺ ἐπὶ τὸν Σύλλαν παρεσκένωσε νοῆ κατηγορεῖν ἐπέσησεν. Οὐεργήσιον, ἔνα τῶν δημάρχων, ὃν ἐκεῖνος ἀματ τῷ διατηρεῖν χάριτεν ἔστις, ἐπὶ Μιθριδάτην ἀπῆγε. Eodem modo igitur Caesar, cum adhuc in urbe versaretur, ab Antistio postulatus erat, sicut idem Suetonius in antecedentibus de C. Memmio Lucioque Domitio, praetoribus, narravit, qui de superioris anni actis referebant et quorum impetus occulte in se factos Caesar in prouinciam discedendo paullulum frangebat. Reliquorum igitur Suetonii verborum sensus est: *Mox, quia ipse (adhuc praefens) etiam a L. Antistio, tribuno plebis, accusatus erat, appellato demum (per amicos Romae relictos) collegio, obtinuit, (propter legis Memmiae auctoritatem) cum reipublicae causa abesse, reus ne fieret. (qua tribunorum plebis sententia tandem omnes reliquos tribunorum et senatorum impetus in se factos plane impediuit.)*

§ 2.

Cap. IX et X. vitae Caesaris ea narrantur, quae Publ. Clodius, Caesare Praetore, suscepit, ut tempore sacrorum Bonae Deae in Caesaris aedibus celebrandorum cum Pompeia, Caesaris coniuge, adulterium committeret. Simillem huius facinoris narrationem continet vita Ciceronis a Plutarcho descripta; quae si cum capitum modo laudatorum verbis comparatur, quaedam paullo aliter exposita videntur, quia in nostro loco rem totam luculentius tractauit,

in

in illo autem breuiter tantum attigit. In Ciceronis vita Clodius appellatur: *αὐγὴ εὐγενῆς*, sed nostro loco etiam Plutarchus addit: Clodium diuitis et eloquentia excelluisse.
(εὐγένη πλείστη τοις λόγω λαμπροῖς) Alterum quoque Velleius lib. II, cap. 45, testatur verbis: *P. Clodius, homo disertus.* Porro in Cic. vita dicitur fuisse: *τῷ δὲ Φεονύματι θεατὸς τοις αὐθάδης, animo temerario, superbo et pertinaci praeditus,* quod nostro loco descriptione grauiore ita exprimitur: *ὑβρισὶ τοις θεατῶντι τῶν ἐπὶ βδελυφοῖς περιβούντων εἰδενὸς δεύτερος, petulantia et temeritate nulli ciuium cedens, qui propter facinora detestanda infames erant.* Eodem spectant l. l. Velleii verba: *qui neque dicendi neque faciendi ultum, nisi quem veller, nosset modum, malorum propositorum executor acerrimus.* — Sed longe uberiorem istorum vitiorum descriptionem tota Ciceronis oratio pro Milone habita suppeditabit. Quae autem in Cic. vita de Pompeia, a Cludio amata, afferuntur, nostro loco locupletata sunt additamentis memoratu dignissimis: *eam non inuitam Clodi amorem admisisse, sed Aureliae, prudentis matronae, consiliis potissimum impeditam fuisse, quae nurus suae cubiculum tam diligenter custodiendum curauerit, ut omnis eius conueniendae ratio et difficilis et periculosa redderetur.* — Ipsa Bonae Deae sacra in Cic. vita paucis tantum verbis appellantur arcanum illud sacrificium, quod spectare viris non liceat: sed nostro loco longe accuratius descripta leguntur.

Primo varias de Bona Dea opiniones Plutarchus recenset, quarum plures tamen Macrobius Saturn. lib. I, cap. 12, colligit. Ita Macrobius eam *Bonam* appellari dixit, *quia, cum Terra sub eius nomine colatur, haec omnium ad victimum bonorum sit causa.* Sed videtur potius hoc nomen, quod etiam omnibus aliis Diis imponi poterat, illi Deae propterea datum fuisse, ut verum idque arcanum eius nomen viros lateret. Eo respiciunt Ciceronis verba in Orat.

de Harusp. responsis, cap. 17 ultimo: *sit ei Deae, cuius nomen quidem viros scire fas est.* Deinde de Clodio facete addit: *quam iste idcirco Bonam dicit, quod in tali sibi scelere ignouerit.* — Quia porro Plutarchus dicit, hanc Deam a Graecis Φυγαντισσαν esse appellatain, Macrobius I. l. etiam causam illius nominis hanc assert: *quam Varro — tradidit adeo pudicam, ut extra γυναικειότητα manquam sit egressa, nec nomen eius in publico fuerit auditum, nec virum unquam viderit, vel a viro visa sit: propter quod nec vir templum eius ingreditur.* — Quibusdam vero sub huius Deae nomine Cybelem latuisse, ex illis Plutarchi verbis n. l. apparer: Φεύρης μὲν ὀπειερένεια Μίδα μητέρα, τῷ βασιλέως, γενέθλια Φασι. Phryges eam sibi gentilem Deam faciunt et Midae regis matrem fuisse affirmant. Constat ex Diodoro Siculo aliisque Cybelem seu Matrem Deorum in Phrygia esse natam. Diodori Sic. lib. III (pag. 191. ed. Rhodom.) verba sunt: πορεύεσθαι δὲ τῆς θεᾶς ταύτης κατὰ τὴν Φρυγίαν γένεται. Deinde praeter Plutarchum etiam Hyginus fab. 274 et fab. 191, affirnat: Midam fuisse Cybeles siue Matris Deorum filium. Macrobius tamen l. l. huius opinionis non meminit, quamuis plures alias veterum sententias attulerit. — Ceterum inde etiam error Viri cuiusdam Doctissimi natus esse videtur, qui nostra aetate in noto et utili de Mythologia libello sacra Bonae Deae cum Iudis plane diuersis, Cybelae consecratis Megalensium nomine, confundebat. — Quae deinde Plutarchus dixit de Romanorum opinione, qui hanc Deam habuerint Nympham sylvestrem Faunique uxorem, cum Lactantii narratione Institt. Christ. lib. I, cap. 22: ipsam fuisse et sororem et uxorem Fauni, melius conveniunt, quam cum Macrobiis verbis. Hic enim refert, Deam illam quorundam opinione Fauni filiam fuisse, quacum tandem in serpente mutatus coierit.

Maior difficultas est in reliquis Plutarchi verbis, quibus Graeci eam appellauerint: τὴν Διονύσον μητέρων τὴν ἀρχήτον, ἀρκαναν ἵλλα Bacchi matrem, inter plures eius matres. Diodorus Siculus iam lib. III (pag. 195.) difficile esse dixit, de Bacchi natalibus et rebus gestis certi quidquam afferre. Deinde tamen varias de eius ortu opiniones enumerat. Quibusdam enim Bacchum Bimatem (διμήτος) appellari, quia vitis quasi duplice modo nascatur, quando planta terrae mandetur et quando fructus ferat. Aliis eum dici Cereris et Iouis filium, quia vitis terrae et imbris beneficio succrescat. Multis adeo tres olim Bacchos varia aetate extitisse dici. Antiquissimum fuisse natione Indum, cuius tamen nullos parentes nominauit Diodorus Siculus. Alterum fuisse e Ioue et Proserpina, siue, ut quidam vellent, e Cerere natum. Tertium denique Thebis Boeoticis e Ioue et Semele, Cadmi filia, originem traxisse. — Ex quibus saltem apparet, Plutarchum non sine causa plures matres Baccho tribuisse. Quae autem Cicero: de natura Deor. lib. III, cap. 23, de quinque Bacchis eorumque parentibus attulit, ad nostrum Plutarchi locum minus conferre videntur. Nam quaestio iam oritur, quaenam a Plutarcho forte intelligi potuerit sub arcana illa Bacchi matre? Mihi quidem Cererem Deam indicasse videtur, sub qua, Diodoro narrante, etiam Terram olim coluerunt. Huius quidem sententiae argumentum in primis ex illo Diodori loco repeto, ubi (pag. 196.) dixit, Bacchum etiam Cereris et Iouis filium haberi. Quibus enarratis statim adiecit: σύμφωνα δὲ τέτοις ἔνοι τὰ τε δηλώμενα διατὸν. Οὐφίδην πομάτων καὶ τὰ παιεῖσταγόμενα πατὰ ταῖς τελετᾶς, cum his conuenire et ea, quae Orpheus in carminibus suis tradiderit, et ritus in ipsa mysteriorum celebratione institutos. Quia vero Plutarchus in reliqua narratione n. I. statim adiecit, matronas in sacris Bonae Deae celebrandis multa fecisse, quae cum Orphicis mysteriis conuenirent, (πολλὰ τοῖς Οὐφίδοις

έμολογάντα δέξιν) non solum colligitur ex his verbis, id, quod etiam antecedentia suadebant, illorum sacrorum originem a Graecis esse repetendam, sed simul appareat, illam arcanam Bacchi matrem, quam Plutarchus cum Bona Dea Romanorum comparat, ipsam Cererem fuisse, sicut indicari solebat in mysteriis ab Orpheo traditis, quorum ritus plurimos etiam sacra Bonae Deae referebant. — Eo igitur spectarunt illa tentoria, quae, Plutarcho auctore, pampinis contegi solebant, et sacer serpens, ad Deae pedes, ut fingebant, collocatus. Nam pampini multiplex usus fuit in Bacchi sacris atque serpentes etiam sine damno a Bacchis sacrorum tempore tractari dicebant. Quare Horatius lib. II, od. 19, v. 19, 20, de Baccho cecinit: *Nodo coērces vipe-
rino Bistonidum sine fraude crines* — et Euripides in Bacchis, v. 765, 766, adeo finxit, serpentes sudoris guttas in genis Baccharum lingua sua lambere. Eodem modo quoque Macrobius I. l. testatur, vitem in sacris Bonae Deae adhiberi solitam, et serpentes in templo eius nec terrentes nec timentes indifferenter apparuisse. Quos ritus autem non ex Bacchi sacris, sed potius ex fabulis de Fauno in serpentem mutato et Bonam Deam vino inebriante, (quae tamen minus antiquae fuisse videntur,) explicare studuit. — Sicut denique Bacchi sacra etiam noctu non sine lusu lascivo et variis Musices instrumentis sunt celebrata: ita Plutarchus quoque affirmit, praecipios certe ritus sacrorum Bonae Deae nocturnos fuisse; (*τὰ μὲν οὐσιαν τελείως τελεῖται*,) quo tempore nec a lusu et saltatione, nec a multorum neruorum et tibiarum cantu abstinuerint. Quae quidem mysteriorum utriusque numeris similitudo sanctitatem et castitatem foeminarum, illa Romae celebrantium, non maximam eo tempore et prauis adulteri istius Clodii consiliis non valde contrariam fuisse declarat.

Sed grauis obstat Ciceronis auctoritas, qui haec sacra omnium sanctissima et antiquissima fuisse, non uno loco affirmavit;

uit; nisi forte magno Clodii odio flagrans rem totam dicendo nimium quantum ornauit et auxit. Verba summi oratoris sunt: (cap. 17 de Harusp. Responsis) *Etenim quod sacrificium tam vetustum est, quam hoc, quod a regibus aequali huic urbi accepimus? quod autem tam occultum, quam id, quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes? quo non modo improbitas, sed ne imprudentia quidem possit intrare? quod quidem sacrificium nemo ante P. Clodium, omni memoria, violauit, nemo unquam adiit, nemo neglexit, nemo vir adspicere non horruit: quod sit per virgines Vestales, sit pro populo Romano? sit in ea domo, quae est in imperio; sit incredibili caerimonia; sit ei Deae, cuius ne nomen quidem viros scire fas est.* — Et paullo post adiicit: *quod oculos, ut opinio illius religionis est, non perdidisti; ut indicetur, oculorum caecitate in illi viro timendam fuisse, qui haec sacra conspexerit.* Seneca ep. XCVII, adeo narrat; *haec sacra fieri sub motis extra conspectum omnibus viris, ut picturae quoque masculorum animalium convegantur.* Propter illam igitur sanctitatem sacrorum Cicero variis locis, ut pro Milone cap. 5 crimen Clodii verbo grauiori: *incestum stuprum appellauit;* quod etiam alii scriptores imitati sunt. — Ex illis porro Ciceronis verbis: *sit pro populo Romano?* optime causa nominis: *Damum,* apparet, sicut hoc sacrificium a Romanis vocabatur. Non enim propterea, ut Festus voluit, (in libro: de verbor. signif.) ita est appellatum, quod minime esset δημόσιον, sed potius dialecto Aeolica, cum a Graecis in Latium esset delatum, δάμος, h. e. *publicum,* ad augendam sacrificii dignitatem nominarunt. — Quid autem Cicero sub illo: *incredibili caerimonia,* intellexerit, partim ex iis patet, quae, Plutarcho et Macrobio auctoribus, iam attuli, partim ex aliis, quae Macrobius l. l. collegit, et quibus etiam celebrata illorum sacrorum sanctitas non magno opere commendatur, ut: *quod vinum in templum eius*

*eius Deae non suo nomine soleat inferri, sed vas, in quo vi-
num inditum sit, mellarium nominetur, et vinum lac nuncu-
petur.* Ergo tamen vinum, licet lac nominaretur, est allatum! nec dubium esse videtur, vini dulcedine feminas Romanas, quibus illud viris praesentibus bibere veritum erat, ad insignem sacrorum hilaritatem egregie instigatas fuisse. Plura eaque longe magis flagitiola de his sacris tradidit Iuuinalis.

Duplex denique quaestio restat, altera, *de domo illa, in
qua fieri solebant haec sacra*, utrum Pontificis Maximi, an Consulis sive Praetoris fuerit domicilium? altera *de statu sa-
cerorum tempore.* In loco Ciceronis laudato dicitur sacrificium fieri *in ea domo, quae est in imperio.* Ernetti, quia illorum sententiam sequitur, qui haec sacra in domo Pontificis M. facta esse putant, hunc Ciceronis locum habebat obsecurum eique duri quidquam inesse arbitrabatur. Sed si luculenta Plutarchi et Dionis testimonia conferamus, vix illa dubitatio relinquitur, Ciceronem his verbis domum Consulis sive Praetoris indicasse, quia uterque magistratus muneric sui auctoritate in imperio erat, non item Pontifex Maximus. Plutarchus non solum nostro, quem nunc tractamus, loco diserte scripsit: *quando festi diei tempus aduenit, sive consule sive Praetore magistratum gerente: is domo egreditur — sed etiam in vita Ciceronis narrat, quo tem-
pore in vincula coniecti sint Catilinae coniurati, Ciceronem Consulem vesperi non domum rediisse, quia illam matro-
nae occupauerint sacra Bonae Deae celebrantes, sed se con-
tulisse in vicini cuiusdam aedes.* Quo loco simul additur: Σύεταρ δὲ αὐτῇ κατέγνωτον ἐν τῇ ὀνίᾳ τῷ ὑπάρχοντι γυναικὶ ἡ μη-
τρός αὐτῆς τῶν ἑστιάδων παρθένων παρθένῳ. Dionis autem testi-
monium lib. XXXVII. (pag. 56. ed. Steph.) his verbis conti-
netur: ἀπεξ (ιερᾶ) δι τοῦ παρθένοι παρθένος τοῖς ὑπότοις τοῖς παρ-
τοῖς σεαυτοῖς οὐγγῆς τοῖς ἐν τῶν πατριών εἰς πᾶν τὸ σέργευ ἐπετέλει.
Est

Est autem verisimile, haec sacra apud Praetorem tum fieri potuisse, cum vel Consules abessent; vel uxore matreque carerent; vel alia quaedam grauior causa obstante. Quam sententiam quoque Malaspina in notis doctissimis ad Cic. Epp. ad Atticum lib. I, ep. 12, sequitur. — Quod autem alteram quaestionem atrinet, quando haec sacra a matronis celebrata sint, nihil certi ad illam dissoluendam reperi apud interpres antiquorum scriptorum. Sed quantum ipse colligere potui ex loco Plutarchi in vita Ciceronis, ubi de sacris illis a Terentia uxore in Ciceronis domo factis loquitur, haud dubie noctem illam, quae Nonas Decembres antecedit, Romani statum illorum sacrorum tempus habuerunt. Nam illa nocte Vestales Romae Deae sacris operatae iubebant Terentiam quam celerrime virum suum adire propter flamمام insignem ex arae cineribus emissam. Quibus narratis statim adiungit Plutarchus: τῇ δὲ οὐρανού γενομένῳ ἐν συγκλήτῳ λόγῳ περὶ τιμωρίας τῶν ἀνδρῶν, Cum postridie in senatu de poenis conciavatorum ageretur — et iam sententias senatorum eo modo dictas narrat, quo etiam in quarta Ciceronis oratione contra Catilinam habita cap. IV, recensentur. Iam vero constat ex epist. I, lib. II Epp. ad Atticum hanc orationem a Cicerone Nonis Decembribus, quarum etiam aliis locis meminit, habitam esse: quare sententia mea, de sollempni illorum sacrorum tempore prolata, satis certa esse videtur.

Sed instituti mei ratio postulat, ut iam de Clodio illo pollutorum sacrorum reo iterum agamus. Utroque Plutarchi loco dicitur Clodius psaltriae vestitu et cultu domum Caesaris intrasse, (έσπει την κατηγορηθεισην αναλαβών) quem accuratius descripsit Cicero: de Harusp. resp. cap. 21; P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, a strophio, a psalterio, a flagitio, a stupro est factus repente popularis. — Ancilla Aureliae, quae Clodium in domo ampla errantem deprehenderat, in vita Ciceronis

de nomine eum interrogasse dicitur: (*ὕπηστεν δύο μέν*) in nostro loco autem illa inuitat Clodium tanquam mulierem, ut ludat. Quod quidem narrationis discriminem eo optime intelligitur, si illam seruam non una tantum interrogatione usam sed pluribus verbis cum eo collocutam esse statuimus, ut quae et qualis esset haec mulier, domum amplam peruvagata, intelligeret; id, quod verba Plutarchi nostro loco prolatâ satis confirmant.

Reiskius in Plutarchi verbis: *ως δὴ γυνὴ γυναικα παιζειν προσκαλεῖτο* — pro: *παιζειν*, emendare vult: *παιδιάζειν*, sive: *πελάζειν*. Sed sensus vocabuli: *παιζειν*, consilio illorum sacrorum est maxime adcommodatus, in quibus mulieres ludendo potissimum delectabantur atque simul significationem verbi: *πελάζειν*, *appropinquare*, complectitur. — Malim potius vocabulum: *γυνὴ εἰπεῖν* et legere: *ως δὴ γυναικα παιζειν*. — Nam particulae: *ως δὴ* saepe ironiam, quae dicitur, complectuntur, ut latinorum: *quasi vero*, *scilicet* etc., cuius significatio nis plura exempla attulit Hoogeveen in opere illo: de Particulis Graecis. Quare particulae: *ως δὴ*, nostro loco portius ad: *γυναικα* referri debent: *eum tanquam mulierem scilicet ad ludendum instigauit*, et vocabulum: *γυνὴ*, alieno loco positum ex duabus syllabis prioribus vocabuli: *γυναικα*, a librario negligenti male duplicatis, originem traxisse videtur.

Porro in vita Ciceronis Clodius respondet, se quaerere Pompeiae ancillam, cui Aurae sit nomen: (*Φίσταρτος αὐτόλαθον Πομπηίας ἥγετεν "Αὔραν τένομα*) sed in nostro loco Plutarchi verba sunt: *Φίσταρτος Αὔραν περιμένειν Πομπηίας*, *ἄντο τέτο παλαιρένην*, cum diceret, se opperiri Habram (h. e. pedisse quam) Pompeiae, quae eodem etiam nomine appelletur. — Collato utroque loco, unius vocabuli emendationem in altero utro necessariam esse appetet, cum in primis duo vocabula: *ἄργα* et *ἀργα* facili librariorum lapsu inter se possent per-

permutari. Ἀβραὰ autem, Suida teste, Graeci appellant: οὐνότερα γυναικὸς κόρην τοῦ ἔντιμον, honestiorem matris familiā ancillam, quae ipsi plerumque comes adeset. Videntur autem formissimae quaeque huic ministerio destinatae fuisse, quae, cum tenero et succi pleno corpore gauderent, propterea nomen: ἀβραά acceperunt. Eustathius adeo ἀβραά appellauit: τὰς θεσπέτας τοῖς θεσπέταις δέλτας, quibus verbis haud dubie indicauit, illas puellas, cum liberaliter educatae essent, ipsis heris non raro concubinarum loco fuisse. Iam si duo Plutarchi loca respicimus, altero loco haec ancilla *Aurae* nomine compellatur, quod nomen feminis imponi solitum esse, Doruilius in notis ad Charitonem pag. 226. ed. Beck. pluribus exemplis confirmauit; ubi etiam vir doctissimus lectionem: ἀνέρα, in vita Ciceronis defendere videtur. Sed si Plutarchi verba in nostro loco accurate consideramus, quibus eam non solum Habram fuisse sed eodem etiam Habrae nomine usam esse dixit: melius est, cum alterutro loco necessaria sit emendatio, in vita Ciceronis cum quibusdam interpretibus corrigere: Ἀβραά, pro illo: Ἄνερα, quia lectio nostri loci: ἀβραά, adiectis Plutarchi verbis, est satis certa. Neque dubitari potest, puellas interdum: ἀβραά nomine proprio appellatas fuisse, sicut etiam alia illarum nomina ad pulchritudinem et consuetudinis hilaritatem referri decebant; qualia fuerunt: Glycera, Asterie, Pyrrha, Lallage, Phaedra etc.

§ 3.

Cap. XXIII, Plutarchus *expeditionis a Caesare in Britanniam bis susceptae* mentionem iniecit, quae audaciam eius laudibus multis celebratam declarauerit. (τόλμαν εἰχεν ὄνομαστην.) Sed satis constat, Caesarem parum utilitatis et sibi et reipublicae hac' dupli expeditione attulisse. Nam, ut Florus lib. III, cap. 10, dicit, *non provinciae sed nomini studebatur;*

tur; et, ut Dio, lib. XXXVIII, (pag. 128) refert, Romani spem commodorum inde futurorum pro ipsis commodis virtute iam partis habebant, de bonis laetabantur, quae rebus feliciter gestis aliquando essent consecuturi, quasi iam ipsa possiderent, et cum Caesare tum amici eius Romae reliqui hanc expeditionem mirum quantum iactabant. Quo etiam factum est, ut ei supplicatio XX dierum Romae decerniretur. Omnium optime Tacitus in vita Iulli Agricolae, cap. XIII, de his rebus a Caesare in Britannia gestis scriptis: *Britanniam — potest videri ostendisse posteris, non tradidisse.* Plutarchus porro dicit, huius insulae magnitudinem tunc fidem superasse, (*ἀπιστεμένην υπὸ μεγάθεος*) quod partim ex eo intelligitur, quod Britannia tunc omnium maxima imperii Romani insula fuit, partim ex varia magnitudinis descriptione, quam antiqui afferunt, vid. Iul. Caesar: de Bello Gall. lib. V, cap. 13, et Plinius Historiae Nat. lib. IV, cap. 16. Sed Caesar non ipse totam insulam classe circumiectus erat, quod et eius verba Britanniae descriptioni l. l. adiecta: *ut fert illorum opinio*, et alia scriptorum loca confirmant, ut Dionis Cassii lib. XXXVIII pag. 127, et Taciti: de vita Agricolae, cap. 10; ubi dicitur Iulius Agricola primus totam Britanniae oram nauibus legisse. — In reliquis verbis Plutarchus refert, multos antea scriptores dissensisse, quasi fictum sit nomen et tota de hac insula narratio, quae nunquam fuerit, nec verenunc reperiatur. (*ως ζνουμα τοι λόγος
& γενεμένης, εδώ θητης, πεπλασαται.*) Simillima his quoque l. l. tradidit Dio Cassius: *καὶ τοῖς μὲν πάντις περώταις καὶ Ἑλλήνων καὶ Ρωμαίων ὅδος ἔτι ἐστὶν ἐγγράψατο. τοῖς δὲ ἐπειταέστεροι φιλοβίτησιν, ἕπεται πειρεῖς ἔτει καὶ νῦν τοις ἔηται, αὐτοπταις μόντεστησι τῶν ἐπιχωρίων γενομέναις. τεκμαριζόμενοι δὲ, ως ἐπαστοι χολόης ή καὶ φιλοτημίας εἶχον, συγγένειαπτοι.* Antiquissimi Graecorum et Romanorum ne esse quidem eam sciebant: recentiores vero, utrum terra continens an insu-

insula sit, dubitarunt, ut alterutra sententia a multis defenseretur. Qui, cum nec ipse hanc vidissent insulam nec ab incolis eius essent edacti, nihil certi cognoverant, sed coniecturis tantum pro cuiusque otio seu studio indulgebant. — Sicut vero Plutarchus de Caesare scripsit: προσήγαγεν έξω τῆς ὀμηρένης τὴν Πομπέων ἡγεμονίαν, Romanorum imperium extra orbem habitatum propagauit: ita Dio lib. LX, pag. 779. de A. Plautio, qui Claudii imperatoris mandato primus post expeditionem Caesaris suscepitam cum exercitu in Britanniam denuo proficiscibat, affirmat, milites eius freuuisse, bellum extra orbem habitatum esse gerendum. (ως γὰς έξω τῆς ὀμηρένης ερευνώντες ἡγεμόνες.)

Quod denique consilium Caesaris attinet, quod hac expeditione suscipienda exequi studuit, aliud ipse praetendebat, quam reliqui rerum ab eo gestarum scriptores indicarunt. Nam ut ipse refert de Bello Gall. lib. IV, cap. 20, in Britanniam proficisci contendit, quod, omnibus fere Gallis bellis, hostibus inde subministrata auxilia intelligebat. Sed et Plutarchus nostro loco verbis: πολύτας τὸς πολεμάς μάλλον, ἢ τὸς θεοῦ ὁ φειδάτας, hostes magis pluribus praelitis cedendo, quam suos ditando — et alii scriptores aliud Caesaris consilium in diuiniis colligendi positum suisse contendunt. Ita Suetonius: Iul. Caes. cap. 47, narrat, Caesarem petisse Britanniam, spe margaritarum. Cicero autem in pluribus Epp. ad Trebatium scriptis similia tradit, quae vel sola conjectura consequi poterat: quia non solum illa cupiditas bellis inter exterias gentes gerendis diuitias colligendi tunc multos Romanorum principes tenuerat, sed etiam Galliarum provinciae iniustis tot annorum bellis exhaustae largam opum copiam Caesaris suppeditabant. — Trebatius tamen, cui Cicero haec scripsit, nunquam cum Caesare Britanniam adiit, nimio hostium timore impeditus; id, quod praeter alia epistolarum loca in primis epistola X, lib. VII confir-

mat. Nam in prima eius parte iocatur, ut solet, de Trebatio, qui Britanniam adire noluerit, et in sequentibus statim verbis; *quamquam vos nunc istic satis calere audio*, periculum grauissimum indicat, quod eodem anno, quo secunda in Britanniam suscepta erat expeditio, Ambiorigis potissimum fraudibus ortum legiones Romanas in variis hibernis iisque longe distantibus collocatas pene omnes oppressisset. Quare etiam meam interpretationem loci in Epist. XVI, § 1, eiusdem libri, quam nuper epistolae modo laudatae verbis potissimum stabilire studui, nunc quidem mutare mihi non licet. — *De praeda autem, quam Caesar, iterum in Britanniam proficisciens egerit, nihil ipse commemoravit, nisi quod cap. 23, lib. V, magnum captiuorum numerum in nauibus simul esse adductum dixit.* Itaque mirum videri debet, Strabonem, qui lib. IV, pag. 306 ed. Almelou. eiusdem belli cum Britannis gesti meminit, tamen adiecisse: *καὶ οἱ γαρ οὐνεὶ τε οἱ αὐδεῖτοι καὶ τὸς ἀλλαγῆς λειτουργῶς, abduxit secum obfides, mancipia et multam præterea prædam.* Cui quidem Strabonis narrationi hoc certe loco fidem eo minus habendam esse censeo, quo certius est, eum duplarem Caesaris expeditonem in antecedentibus non accurate distinxisse, quamuis eam non ignoraret. Nam verba graeca modo laudata proxime haec antecedunt: *κατέπει δύο τάχυτα μόνον περιστάσεις τῆς σεατίας, duabus modo legionibus exercitus sui traicitis* — Duas tantum legiones Caesar prius traduxit, ut narratur: de bello Gall. lib. IV, cap. 22. Sed alteram expeditionem, qua finita multos captiuos secum abducebat, cum legionibus V, et pari equitum numero suscepit, ut docetur lib. V, cap. 8. Ceterum quam vili pretio illi Britannorum captiui fuerint, Cicero in ep. XVI, lib. IV, Epp. ad Atticum his verbis facete indicauit: *Etiam illud iam cognitum est, neque argenti scripulum esse ullum in illa insula, neque ullam spem prædae, nisi ex man-*

*mancipiis: ex quibus nullos puto te literis aut musicis eru-
ditos exspectare.*

Iam superest, ut paucis consilii ratio, cuius causa haec scripsi, indicetur. A multis inde annis in Schola Torgauensi tempus illud morti, quam pro hominibus Christus obiit, salutari consecratum. ea, qua pars est, pietate etiam publice celebrari solebat. Itaque nunc quoque iuuenes quidam, temporis illius opportunitate usi, ad verba facienda prodibunt:

d. XIX Aprilis

- I) CHRISTIANVS GVLIELMVS SCHMID, *Torgau.*
vernacula lingua agens: *de animi tranquillitate ex
Christi doctrina redundantia.*
- II) IOANNES GOTTLÖB SCHVMANN, *Domitiensis,*
latine: *de virtutis summae exemplo, quod mors Christi
salutaris suppeditat.*
- III) GOTTLIEB FERDINANDVS MEISNER, *Weyden-
bayn.* vern. lingua: *de constantia animi a pertinacia
longe diuersa.*
- IV) CAROLVS HENRICVS GODOFREDVS HEIDRICH,
Torgau. latine: *de cautione in periculis praevendis
necessaria.*
- V) CHRISTIANVS FREDERICVS LOEBNER, *Torgau.* vern. lingua: *de legum diuinarum et humanarum di-
scrimine.*

d. XXII Aprilis

- I) IOANNES CHRISTIANVS MVILLE, *Iutrebocens.*
latine: *de potentia virtuti propria.*

II)

II) HENRICVS CHRISTOPHORVS GLEBITSCH, Torgau. vernac. lingua: *de animi immortalitate propter bonorum calamitates futura.*

III) IOANNES IACOBVS IVNGE, Dablers. latine: *de laude innocentiae.*

IV) IOANNES GOTTLÖB ROEDER, Gross-Poelauia Misnicus, vern. lingua: *de vi opinionum in animis hominum perniciosa.* Hic etiam, sicut ille, qui priori die ultimam habet orationem, Commititonum nomine iuuenes in Academiam discessuros valere iubebit.

Quia vero opera iuuentuti erudiendae impensa Virorum dignitate et sapientia conspicuorum auxilio atque praesidio optime sustentatur, omni, qua decet, obseruantia et humanitate rogo, ut VIRI GENEROSISSIMI, ANTISTE~~S~~ SACRORVM SVMME VENERABILIS, SENATVS CIVITATIS TORGAVIENSIS AMPLISSIMVS, MINISTRI SACRORVM PLVRIMVM REVERENDI, MAGISTRI SCHOLAE TORGAV. CLARISSIMI et RELIQVI FAVTORES LITERARVM DOCTISSIMI, hoc tempore interesse iuuenilibus dicendi exercitationibus atque praesentia sua ornare velint horum dierum sollemnitatem.

VI) CAROLAY HANRICAS GODFREY TICARDIUS, vernac. lingue: *de canticis in bimillennio.*

V) CHRISTIANA I. RIBOLDIÆ, vernac. lingue: *de canticis in bimillennio.*

IV) IONNÆ CHRISTIANÆ MARY, vernac. lingue: *de canticis in bimillennio.*

III) I. J. VON HORN, vernac. lingue: *de canticis in bimillennio.*

II) I. J. VON HORN, vernac. lingue: *de canticis in bimillennio.*

01 A 6572

ULB Halle
003 053 512

3



VOIP

11.2001 Pd.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



Vol. I. m. n. 57.

INTERPRETATIO

QVORVNDAM

P L V T A R C H I

LOCORVM

IN VITA IVL. CAES. CAP. I, IX, X ET XXII.

QVA

AD ORATIONES IX

IN SCHOLA TORGAVIENSI

HORA III POMERIDIANA

B. XIX ET D. XXII APRILIS CICLO CCLXXXI

BENIVOLE AVDIENDAS

PATRONOS ET FAVTORES

INVITAT

TRAVGOTT FREDERICVS BENEDICT

AA. LL. MAGISTER ET SCHOLAE TORGAV. RECTOR.

TORGAVIAE,
EX OFFICINA KVRZIANA.

